

041

039

045

disputant de evangelio et prophetis, loquuntur de rebus theologicis, et nonnumquam in quibusdam difficultatibus, sacram scripturam concernentibus, doctos et litteratos vincunt et instruunt, quia nullus catholicus ab his locis sanctis reddit, nisi melius instructus. Cum ergo indocti seculares theologi a sanctis locis redeunt, nullum dubium est, quin clerici et aliquantulum docti, non mediocriter informati redibunt. Ob hanc ergo causam, et plures alias, quae factae sunt in praefata terrae sanctae commendatione, et quasdam alias, quas enumerare necesse non est, firmavi faciem meam, ut irem in Jerusalem, sicut de Domino Jesu dicitur Luc. 9. v. 51. et quantum Religioso licet, voto me ad hoc constrinxi. Deum autem testor, quod pro illa peregrinatione multis annis tanto desiderio aestuavi, ut pene nihil aliud vigilanti aut dormienti occurreret cogitandum. Et pro certo possum dicere, quod ultra mille noctis et quietis horas insomnes duxi, his cogitationibus insistens.

Porro, grave mihi erat petere licentiam ad tam inconsuetam et longam evagationem, et videbatur mihi quasi impossibile impetrare. Sed et ubi tantas expensas acciperem nec quidquam suspicari poteram. Inquietus tamen eram, et multorum quaevis consilia, sed remanendi non inveni remedia. Tandem autem contuli me ad Illustrem Principem, comitem Eberhardum de Wurtenberg, seniorem, qui pridem in his sanctis locis fuerat; et in dominico sepulchro, quod est in Ierusalem, sacramentis militaribus constrictus militiae insignia ibi accepit, petens (10 A) suae Magnificentiae consilia, de concepta peregrinatione parficienda; pavidus enim fui, et vitae meae timebam, mare etiam, quod numquam prius videram, et multa audieram de eo, aliaque illius peregrinationis pericula, de quibus multa ante legeram, horrebam. Ideo pro consiliis, plus quam necesse fuit, huc illucque discurrebam. Generosus autem Comes, me auditio, familiari affatu respondit: Tres, inquit, sunt humani actus, quos nullus debet suadere, aut dissuadere unico. Unus est contrahere matrimonium. Alter est inire bellum. Tertius est visitare sanctum sepulchrum. Hi, inquam tres actus sunt quidem boni, sed faciliter possunt malum finem sortiri. Quod dum fit, consulens tamquam reus mali eventus

035

050

030

090

140

Ende

Anfang

